





*Zo.* 628 num. 27. 11. 10  
1769, 2

ALBERTI PHILIPPI FRICKII  
ICTI ET ANTECESSORIS.  
IN ACAD. IVL. CAR.

M E D I T A T I O  
S V P E R  
DIVERSIS HONORVM GENERIBVS  
ANGELIS TRIBVI  
S O L I T I S



A· P· C· N· c15 CC LXVIII

HELMSTADII

EX TYPOGRAPHEO ACADEMICO VIDVAE  
SCHNORRIAE







**P**ium factum veteris ecclesiae, quae certis fidei nostrae mysteriis paulo religiosius meditandis certos anniversaria vicissitudine dies constituit. Licet enim illa nunquam non pia mente versare, et lingua efferre mortales debeant: is tamen est animi humani ad haec sacra exploratus languor, ut, nisi coetibus publice actis, veluti quibusdam irritamentis subinde excitetur, salutarium Dei optimi maximi beneficiorum gratam memoriam supina obliuio facile transmitat. Craftino quidem die solenne sanctorum Angelorum festum celebrabimus, quo ea, quae ab Archangelo Michaeli contra satanam olim gloriose sunt gesta, quaeque ab eodem, et vniuerso coelitum exercitu, pro ecclesiae, regnum publicaram, singulorum fidelium salute, diuino ius-

## IV

si, et nunc geruntur quotidie, deuotis meditationibus nostris, praeuentibus verbi diuini ministris, in conuentu fidelium pie recolemus. Angelos sane, quum sint Dei ministri ad iussa illius ordinati, esse quoque illius creaturas, dubio caret. De tempore vel ordine, quo creati fuerint, contentionem mouere, peruicaciae potius fuerit quam diligentiae. Terram esse perfectam, et coelos perfectos cum omni exercitu eorum, narrat Moses. Quora autem die, praeter astra et planeras, alii quoque magis reconditi coelestes exercitus esse coeperint, anxie percunctari, quid attrinet? Immoremur porius meditandis iis capitibus, quae nos in pietate haud fucata, timore Numinis diuini, vera fiducia, omnibus sanctitatis officiis queunt erudire. Laetemur, quod Deus voluerit, angelos suae erga nos beneficentiae dispensatores et administratores esse. Sanctis moribus et vita, illibala conciliemus nobis hosce coelitus nobis concessos pedissequos, quos, sciimus, pro nostra salute excubare, suscipere defensionem nostri, manibus suis nos sustinere, manere per circuitum nostrum, animas nostras deferre in quietem. Eodem insto et decoro honore prosequi, nulli omittamus. Quum vero inter omnes conster, quosdam, auctoratum nostrorum aetate, transgredii non erubuisse limites cultus Angelis tribui soliti: a stati huius diei, qua aedes sacrae vbiique iam personant doctrina de Angelis, solemnitate alienum non esse credidi, si meditationem super diuer-

*dineris honorum generibus Angelis tribui solitis in lucem  
proferam. Tu, lector beneuole, qui artem aequi boni-  
que sectaris, laborem hunc aequi bonique consule.*

Prudentissimus Imperator, IUSTINIANVS in concepta  
formula iuramenti, quo Praefides Prouinciarum aequae  
ac eos, qui iudiciorum administrationem suscipere debe-  
rent, Angelorum quoque mentionem fieri, ac ad hoc sa-  
cramentum dirigi, iussit. Verba huius caesareae voluntatis  
in Novell. VIII., tit. 3., obvia ita sonant, "Ομνυμι ἐγώ πὸν  
Θεὸν τὸν παντοκράτορα, καὶ τὸν νῦν ἀντὸν τὸν μονογενὴν Ιησὸν  
Χριστὸν τὸν Θεὸν ὑμῶν, καὶ τὸ ἄγιον πνεῦμα, καὶ τὴν ἄγιαν ἔν-  
δοξὸν Θεοτόκον καὶ αἰπαρθένον Μαρίαν, καὶ τὰ τέσσαρα εὐαγ-  
γέλια, ἃ ἐν ταῖς Χριστινοῦ πατρῷοῦ, καὶ τὰς ἄγιας ἀρχαγγέ-  
λους Μιχαὴλ καὶ Γαβριὴλ, iuro ego per Deum omnipotentem et  
Filium eius unigenitum, Dominum nostrum Iesum Christum  
et Spiritum Sanctum, et per sanctam gloriosam Dei genitri-  
cem et semper virginem Mariam, et per quatuor Euangelia,  
quae in manibus meis teneo, et per sanctos Archangulos Mi-  
chaelem et Gabrielem. Quaeri solet, an haec sacramenti  
formula a IUSTINIANO praescripta impietatis sit insi-  
mulanda, nec ne? Scimus, acuti ingenii iureconsultum,  
puta IO. SCHILTERVM *Manud. Philos. Moral. ad veram Ju-  
rispr. C. II. n. 17.* legislatoris defensorem egisse, eundem  
que eo excusare conatum esse, quod Angeli Deo subiun-

## VI

gantur tanquam vindictae diuinæ instrumenta, per quos  
 Numen Diuinum, si velit, vltionem suam exercere pos-  
 sit, non autem, vt per eos iuretur tanquam assertionis  
 testes et perfidiae vindices. At, si ingenue dicendum,  
 quid sentiamus de hac defensione, ea nobis non pla-  
 cet. Ni enim fallit animus, ea contrariatur claris le-  
 gum verbis. Quum enim, IUSTINIANI aeo, Christiani  
 dogmata, quas simpliciter diuini libri proponunt, ex  
 philosophorum, quae receperunt, opinionibus et senten-  
 tiis explicare aunderent: tristi admodum fato accidit, vt  
 christiana ciuitas non modo in varias sectas, auctoribus  
 quibusdam hominibus, qui ex suo magis sensu, quam ex  
 verbis IESV CHRISTI et Apostolorum sapere volebant,  
 disperperetur, sed vt illa etiam desiceret in quibusdam  
 dogmatibus a fidei puritate primigenia, et non pauca  
 mysteria inuolueret traditionum nebulis. In eorum cen-  
 sum iure referri debet doctrina de inuocatione Angelo-  
 rum. Qua peruersa doctrina altas radices agente ad veri  
 speciem accedit, IUSTINIANVM in ea fuisse sententia, Ar-  
 changebos, quum per eos quis iuraret, commissi periurii  
 aequo vindicem esse atque ipsum Deum. Nulli igitur du-  
 bitamus, adductam iurisurandi formulam iustum et legi-  
 timum honorem, quem Angeli expectare a nobis pos-  
 sunt, non continere, sed eam potius redolere summam im-  
 pietatem. Eam enim esse iurisurandi vim ac potestatem,

vt

ut hoc praesfando iurans inuocet Diuinum Numen seu perfidiae vindicem, si falsum apparuerit, quod iuramento erat promissum. Dubio igitur caret, ut singulas creaturas, sic etiam angelos hic excludi, quoniam his nec *καρδογνωστα*, nec ius vindictae tribui poterit.

Hanc rationem Angelis honorem cultumque tribuendi excipiat iam alia. Scimus nempe, non Sanctis tantum et Martyribus, sed etiam Angelis templa esse antiquitus consecrata. Quid igitur sentiendum de templorum consecratione in honorem Angelorum facta? Dubio caret, in primitiva ecclesia consecrationem templorum soli Deo tantum eiusque cultui fuisse factam. Vnde eius rei testimonium. *Vnicum e pluribus attulisse, e re erit.* AVGUSTINVS scilicet cum MAXIMINO Episcopo Arianorum disputans ad probandam Spiritus Sancti diuinitatem hoc argumento viritur, quod, ipsum Deum esse, necesse sit, quoniam in eius honorem templa exstruerentur et dedicarentur, quod, vlli rei creatae fieri, sacrilegium foret. Verba, quae contra *Maximinum* L. I. T. VI. opp. p. 689. ea propter profert, ita sonant, nonne, *si templum alicui sancto angelo excellentissime de lignis et lapidibus faceremus, anathematizarentur a veritate Christi et ab ecclesia Dei, quoniam creature exhiberemus eam servitatem, quae uni tantum deberetur Deo.* Si ergo sacrilegi essemus faciendo tem-

plum

### VIII

plum cūicunque creaturae, quomodo non est Deus verus, cui non templum facimus, sed nos ipsi templum sumus? Quo testimonio nihil clarius esse potest ad id, quod diximus, probandum. Quod de ecclesiis obseruauimus, idem de altaribus etiam dicendum, quod scilicet sōli Deo, nec alii rei cuidam fuerint dedicata. At subinsequitis temporibus accidit, vt templa aut sancti cuiusdam sive martyris, aut archangelorum, aut ipsius fundatoris nomen nanciscerentur. Tantum vero abest, vt istum honorem pia antiquitas religiosum aut diuinum fuisse crederet, ut posteriorius, annotante ZIEGLERO ad *Lancell. Instit. Iur. Canon.* L. II. T. XVII. §. 12., fundatores templorum eum considerarent ceu humanum, qui honorifica sanctorum et archangelorum recordatione absoluueretur. Si igitur ad Angelorum venerationem nihil inseritur, quum templa in eorum honorem exstruantur, et ab illis nomen sortiantur: nullam deprehendo causam, ob quam talem destinationem et consecrationem templorum in honorem archangelorum factam damnaremus, aut statueremus, nisi quid inesse, quod cum religione pugnaret.

Iam iam aliam rationem cultus, quem Angelis antiquitas tribuit, consideramus. Constat nempe Deos a Romanis institutos fuisse heredes in supremis tabulis. Imitari hosc sunt ii, qui Christo nomen dederunt, et Archangelos here-

628 222-27

heredes scribebant vel ex asse, vel ex semisse, vel alias partibus inaequalibus. Ipse diuus VSTINIANVS hunc in modum edicit L. 26. §. 1. sq. C. de SS. Eccl. Apponamus verba huius caesareae voluntatis, quam **CONTIO prae-termisſ. class. I. op. 193.** debemus. Ita sonant ēi μὲν ἐστι κατὰ τὴν πόλιν ἐκείνην, οὐ τὴν ἐνορίαν, ἀντῆς, ἐντήριος δικες εἰς τιμὴν ἐκείνην τῇ σεβασμωτάτῃ ἀρχαγγέλῳ οὐ τῇ ἀγιωτάτῃ μάρτυρος αὐτὸν δοκεῖν γεγράφθαι πληρούμον εἰ δὲ ὅντις κατὰ τὴν ἀντὴν πόλιν, οὐ τὴν ἐνορίαν τοιότος ἔικος. Γνωκαῦται, τοὺς κατὰ τὴν μητρόπολιν σεβαστίους ὄντοις. Καὶ εἰ κατὰ αὐτὴν γένη ἐνρεθέμιν τοιότος τις ἔικος, ἐπειών δοκεῖν τὸν κλῆρον, οὐ τὸ πρεσβεῖον, οὐ τὸ φιλεπικόμιτον καταλελεῖφθαι εἰ δὲ μὴ ἐκεῖσε φρυγει τοιότος τις ἔικος ὁν, ἀνθισ τὰ κατὰ τὸπον ἀγιωτάτας ἐκκλησίας ἀπαντεῖ ὁ λοιπὸς δικαίως παρα χωρέσιν ἔικος. Πλὴν εἰ μη γένοιτο πρόδηλος οὐ τελευτήτας ἔτερον μὲν τοι ἐνθυμηθεὶς ὄνομα προσθένται, ἔτερον δε εἰπών. Διὸ τὸ οὐ τὸ τοιόντον ἡμᾶς γνῶντας κατὰ τινὰ διαθήκην ἐπὶ τοῦ πόντῳ γένεθαι, οὐκούστε πάλιν αὐτὶ τοῦ γεγομμένα παρασενάται περιτῆσαι τὸ αἱρεθές. εἰ μὲν τοι ὁ μὲν ἐν τινὶ τέτυνω συγνῶς οὐ τελευτήτας ἐφοίται, καὶ τινὸς προς ἀυτὸν μέζουν ἔχει προεπάθειν, ἐπειών δοκεῖν καταλελεῖφθαι τὸ πρεσβεῖον εἰ τὸ οὐδὲν τοιότο εὑρίσκετο, μαλλον ἐν τῷ τῷ αὐτῷ σύνοματος ἐιδεεσέρει ἔικος, καὶ δεομένῳ βοηθείᾳ τυχεῖν, δοκεῖ τὸ τοιότον καταλελεῖφθαι πρεσβεῖον, οὗτοι τὴν εληφονομίαν, Id est, interprete **CONTIO**, si quidem aliquis fit

## X

in illa ciuitate vel vicinia eius, venerabilis locus in honorem  
silius reverendissimi ARCHANGELI vel martyris constru-  
ctus, videri ipsum scriptum esse heredem: si vero nullus talis  
locus est in illa ciuitate, vel viciniaue eius, tunc venerabilia  
loca, quae in metropoli eius sunt, videri instituta, et si qui-  
dem in ipsa metropoli inuentus fuerit talis aliquis locus, illi  
procul dubio videri relietam vel hereditatem, vel legatum, vel  
fideicommissum. Si vero illic nullus talis locus appetat, de-  
nuo ecclesiis, quae in illo loco sunt, capere id debere. Sane  
sanctissimis ecclesiis omnes aliae domus cedunt, nisi constet,  
defunctum aliud locum sensisse et voluisse adiicere, et aliud di-  
xisse. Nam tale quid accidisse, et nos scimus, in cuiusdam  
Pontici testamento: et tunc etiam constitutum fuisse, ut con-  
tra scriptum veritas obtineret. Si autem testator certum lo-  
cum non adposuerit, multa autem templa eiusdem tituli aut  
nominis in illa ciuitate inuentae fuerunt, vel eius vicinia, si  
quidem in aliquo illorum defunctus frequenter versabatur, et  
maiori erga illud babebat affectionem, illi templo videri  
legatum relictum. Si vero nihil tale inuenietur, maxime ei  
templo ex multis eiusdem nominis videatur relictum legatum  
vel hereditas, quod est caeteris indigentius et magis opis et  
eleemosynae egens.

Quo iussu Imperatoris nil clarius cogitari potest.  
Si PROCOPIO ad hanc vitam redire contingerer, eun-  
demque

demque interrogares, a quanam caussa haec constitutio  
sacerdotibus et egēnis tantopore fauens esset profecta:  
dubio procul responsum ferres, quia IVSTINIANVS, dum  
sacerdotibus aliorum possessiones inique inuadentibus in-  
dulget, pius erga Deum videri volebat, sua aliorumque  
crimina pietate obtegens. At nihil caussae subest, ob  
quam simulatori egregio, qui a mendacio contra verita-  
tem stare plurimis argumentis conuictus est, credamus  
potius, quam incorruptis aliorum testimoniois, qui IV-  
STINIANI studium sacrarum literarum, quas a THEO-  
PHILO edocetus ad multam vsque noctem cum viris Deo  
debitis indagavit, et laudabilem egentium curam praedi-  
cant multis cum elogiis, quae videre licet in I. EICHELI  
*animadu. ad Procop. divēndox.*, p. 6. 2. sq. Potius indage-  
mus, an TRIBONIANVS huius legis auctor sit. Id non  
crediderim. Ex iis, quae GAVDENTIVS de *Iustinianei*  
*Saeculi moribus* P. I., C. IV. profert, notum est, quod  
priorum saeculorum Imperatores, quum ferrent leges de  
religione ac religionis antistibus, nihil tamen de negotiis  
ad rem sacram pertinentibus innovassent sine suffragiis  
antistitum, quos vel domi consulebant, vel in confessi-  
bus publicis audiebant. Veritati ergo accedit, IVSTINIANVM,  
quum edictum ferret de rebus christianorum, TRIBONI-  
ANVM ceu consilii adjutorem non adhibuisse, sed EPI-  
PHANIVM, praesidem Constantinopolitanum, ad quem

XII

integra de sanctis fidei dogmatibus epistola est perscripta L. 7. C. de sum. trim., et qui proin constitutionem nostram confecisse videtur. Si porro disquiramus, quid caussae sit, quare locum, si cui quid relictum vellent, certo suo et proprio vocabulo neglexerint testatores. Moueri enim dubium posset, talem institutionem esse inanem, ut pote sine certo consilio factam §. 25. I. de legar. Iurare auferim, caussam non fuisse aliam, quam quia Archangelorum nomen ultimis tabulis additum conuenienter demonstrabat templum, quod in honorem Angelorum erat extructum. Sciunt vero omnes, heredem incertum non esse, quem testator signis et demonstrationibus, quae voluntatem testatoris indicarent, declarat.

Quod de iis, quae conditis ultimis tabulis Archangelo relicta sunt, statuit IVSTINIANVS, idem ferre ante eum de donatione Angelo cuidam facta sancuit, et eiusce generis donationem ad oratorium, xenodochium, nosocomium in honorem Angelorum aedificandum valere iussit ZENO Imperator. Audias eum L. XV. C. de SS. Eccl. ita disponentem, si quis donauerit aliquam rem mobilem vel immobilem, vel se mouentem, aut ius aliquod personae Martyris, aut Prophetae, aut ANGELI, tanquam ipse postea oratorium aedificaturus: et donationem insinuauerit, apud quos necesse est, cogitur opus, quamuis

## XIII

628 mm 27

*uis nondum inchoatum fuerit, perficere per se, vel per heredes, et perfecto operi dare ea, quae donatione continentur. Idem et in xenodochiis et Nosocomiis et Ptochiis obtinet, licentia danda Episcopis et Oeconomis conuenire ipsis. Ni igitur animus noster nos fallit, ZENO Imperator cultum erga Angelos eo tribuit, quod istam donationem seu validam declararet, quae fierit in eorum venerationem.*

Dum nobis de honore Angelis exhibito sermo est: illud silentio omittere non possumus, quod de Ordine S. Michaelis a Regibus Franco - Gallis est constitutum. Videntur iti decantissimum istud dogma adoptasse, dari genios, angelos tutelares, praesides regnum, urbium, hominum. Quare non modo crediderunt, Galliam in custodia singulari Michaelis Archangeli esse, sed in honorem huius protectoris ordinem equestrem S. Michaelis instituerunt. CAROLVS VII. enim, rebus prope desperatis, interuentu puellae illius bellatricis, puta Ioannae Aurelianensis, insignem ab Anglis reportauit victoriam, et ab eorum obsidione urbem Aureliam liberauit. Creduli nonnulli, Michaelem Archangelum pro Gallis pugnantem se vidisse, iactabant. Motu tanti auxilii superstitione CAROLVS VII. iussit, ut imago S. Michaelis vexillo regio infereretur, verbis ex Dauide additis: Ecce

B 3

Mi-

XIII

Michael vnuſ de principib⁹ prim⁹ venit in adiutorium  
meum; item, nemo eſt adiutor meus in omnib⁹, niſi  
Michael Princeps noſter. Tandem filius eius CAROLVS  
XI. votum patris de iſtituendo ordine equeſtri in hono-  
rem S. Michaelis adimpleuit, et A. C. MCCCCLXIX.  
torquem huius ordinis gestandam dedit, conſtan-  
tēm con-  
chis per funiculum cohaerentibus, appensa imagine S.  
Michaelis Satanam coelo exturbantis, addito lemmate  
**Immensi tremor ocean⁹.**

Licer Michaelē neque veneremur tanquam ſin-  
gularem ecclesiae vel regni cuſtodem, neque ex aliis an-  
gelis cuius noſtrum protectorem eſſe credamus: tamen  
Angelos tanquam Dei ministros amamus, laudamus, et  
in id incumbimus, vt digni ſimus tutela angelorum.

Huius officii vos admonemus, CIVES CARISSI-  
MI, talem viuite vitam, qua Angelorum conſor-  
tio et co-  
mitatu vos non indignos reddatis, i. e., viuite, vt legi-  
bus diuinis aequa ac humanis, quae vos obligant, conue-  
niens eſt. Sic aliquando, poſtquam miferae huius et va-  
nitatibus penitus immersae vitae exuuias deposueritis,  
Angelorum ſocii Deum intueri et cum toto coelitum  
Choro et ſub eius quaſi ymbra beatissimam illam cantile-  
nam

XV

nam Sanctus, Sanctus, Sanctus est Dominus Deus Ze-  
baoth, intonare poteritis.

P. P. in Academia Iulia Carolina a. d. III. Calend.

Oct. A. S. R, cōlōcc LXIX.





X-2396279



B.I.G.

Farbkarte #13



20  
1769,2  
ALBERTI PHILIPPI FRICKII  
ICTI ET ANTECESSORIS.  
IN ACAD. IVL. CAR.  
M E D I T A T I O  
S V P E R  
DIVERSIS HONORVM GENERIBVS  
ANGELIS TRIBVI  
S O L I T I S

P. Böck  
A. P. C. N. clo Is CC LXVIII  
HELMSTADII  
EX TYPOGRAPHEO ACADEMICO VIDVAE  
SCHNORRIAE

